



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Verba authoris ad quamlibet fidelem amantemq[ue] animam. [Cap. XXX.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

amissuros, neque dilectorem Deum, dilectoribus suis inuitis illud ablaturum, neque aliquid Deo potentius inuitos Dominum & illos separaturum.

Gaudium verò quale & quantum est, vbi tantum & tale bonum est? Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, imò obrutum ærumnis, quantum gauderes, si his omnibus abundares? Interroga intima tua, si capere possunt gaudium de tanta beatitudine sua. Sed certè si quis alius, quem omninò sicut te ipsum diligeres, eandem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum, quia non minus gauderes pro eo, quam pro teipso. Si verò duo, vel tres vel multo plures id ipsum haberent, tantum pro singulis, quantum pro teipso gauderes, si singulos sicut te ipsum amares.

Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum Angelorum & hominum, vbi nullus diligit minus alium, quam seipsum, non aliter gaudebit quisque pro singulis, quam pro seipso.

Si ergo cor hominis de tanto bono suo vix capit gaudium suum, quomodo capax erit cor & tantorum gaudiorum? Et utique quoniam quantum quisque diligit aliquem, tantum de bono eius gaudet, sic in illa perfecta felicitate vnusquisque plus amabit sine comparatione Deum, quam se & omnes alios secum. Ita plus gaudebit absque æstimatione Dei, quam de sua & omnium aliorum secum. Sed si Deum sic diligens, scilicet, toto corde, tota mente, tota anima, totum cor, tota mens, tota anima, nò sufficit dignitati dilectionis Dei, profectò gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, vt totum cor, tota anima non sufficiat plenitudini gaudiorum. Ergo non poterit illud gaudium totum intrare in gaudentes sed toti gaudentes intrabimus in gaudium illud ab æterno omnibus electis, præscitis, prædestinatis & saluandis præparatum.

Matth. 22.  
Mar. 12.  
Lucæ 10.

*Verba auctoris ad quamlibet fidelem amantemque animam.*

C A P V T XXX.

**H**I sunt tui gemitus o turtur castitatis, turtur fidelis, turtur non recipiens consolationem perfectam, donec sponso tuo inseparabiliter socieris, quem nunc quasi amissum reputas: quia etiam dum se tibi exhibere dignatur, vides eum non quidem facie ad faciem, sed tanquam per speculum & in ænigmate, vocemque ipsius adhuc audis loquentem quasi in parabolis, non in plena cognitione mysteriorum, id est, secretorum suorum. Si ergo verba mea tuis affectibus, & tuis gemitibus non bene nec plenè respondent o anima charissima sponsa Christi, non mireris, quia cum adhuc gemitibus doloris, timoris, & diversarum anxietatum sim oppressus, istis gemitibus tibi conuenientibus, quos tu secunda de requie, dissolui cupiens, & esse cum Christo, edere consueuisti, nec scio, nec possum intendere: & idè quod nescio, docere non possum. Lege gemen ista, & dilige, quæ tua dilectione coactus, non vt debui, non vt volui, sed sicut sciui & valui, tota deuotione conscripsi. Supplicor vt vsque in diem sepulturæ tuæ ista conserues, in his memoriam habere digneris: non solum nunc, sed etiam in aspectu serenissimo dulcissimi sponsi tui Christi Iesu. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuunt & regnant in secula benedictus

Amen.

*Soliloquij fidelis anima*

F I N I S.

Mmm 4 IN